



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1663

Avgvstvs

urn:nbn:de:hbz:466:1-41940

480 VITÆ SANCTORUM. I. *Ang.*
Christus fuerat. JOANNES rebus om-
nibus abjectis pauperem etiam ipse in-
duit, Societatemque condidit, quam
Urbanus V. Pont. probavit, patrocínio
infantum inductus, qui matres suas, ut
Iesuatis (ita is Ordo appellatur) benefa-
cerent, monuerunt, tam magni orato-
res quàm parvi fuerunt. *Ex Ferrar.*

*Habeamus hospitalitatis curam, non ut
momentaneam solam retributionem accipia-
mus; sed ut reponamus nobis immortalium
bonorum fruitionem. Nam si hoc facimus,
suscipiemus & nos Christum, & suscipiet
etiam ipse nos in mansionibus, quas prepara-
vit diligentibus se. S. Chryl. in Gen.*

SS. FIDES, SPES, CHARITAS. VV.
MM. I. *Augusti.*

Felix Roma, cui, quas nullus unquam
pingere satis belle pictor potuit, vi-
vas spectare virtutes licuit, FIDEM in-
quam, SPES & CHARITATEM *Sophia* fi-
lias, Charitum Christianarum ipsissimam
trigam. Ex his maxima XII. altera X. na-
tu minima IX. omnes paucos annos, sed
plurimas palmas numerant. Ecce enim
virtuti, ut solet, Tyrannus bellum movet,
sed matre duce & junctis copiis omnes
vincunt. Igitur duello singulas aggredi
Urbi Præfectus statuit, & primò quidem
FIDEM. Contra hanc flagris pugnat: at ter-
gum pro scuto objicit FIDES. Sarraginem
ad-

admovet ardentem ille hæc ridet arietem. Ubera refecat gladius. Gaudet FIDES ostentare hæc cælo vulnera. Caput rescinditur, coronatur scilicet. Ergo SPEM aggreditur tortor, & nervos in virginem armat: at his ipsis fortior puella est. Jubetur proin ignis sævire, sed ad virginem hic deficit & in hostes ipsius pugnat. pice ardenti & bitumine perfunditur; nempè ad novam luctam inungitur. In hac sororis mortuæ amplexibus inhærens ense vincit etiam ipsa, dum cadit ense. Iamquæ ad tertiam gradum facit Tyrannus bis victus: suspenditur CHARITAS ab equuleo, laniatur flagris. Sed ne audacter ivisse in hostem credas, noveris in rogam suapte sponte insiliisse terebrâ post perfossam & gladio cæsam. Porrò mater magnanima SOPHIA, quæ & filias præsentia suâ & sese filiarum virtute hucusque animaverat, triduo post inter funera sua funus etiam ipsa apprehenditur. Sed tamen ne tu, ne luctu credas hoc factum Roma. Hanc enim ego, vel nullam aliam Matronam gaudio emori potuisse Livio credam. *Ex Surio.*


Funiculus Fidei, Spei & Charitatis, qui difficile rumpitur, compedita tenet humilium corda, nec patitur illa extolli, aut à virtutum tramite deviare, quin potius elevat ad summa & conjungit Deo, facitque gustare gaudia sempiterna. S. Laur. Justin. de humil.

AVGVSTVS

S. AVGVSTINVS EP. 28

S. CLARA V. 22





I.
ad
ter
d n
ref
Sp
g
est
vir
pu
fu
gi
in
di
ci
C
Se
no
re
P
&
tu
in
h
d
v
n

d
li
c
c
g
t

S. THEODOTE CUM FILIIS MM.
2. Augusti.

Numerabat THEODOTE in viduo thoro filios, quos è conjugè demortuo genuerat, duos, quos verò Christi amore adoptaverat, vinc̄tos ac captivos longè plurimos. Talem Diocletianus Leucadio, cui mirè ejus nuptias ambiebat, tradit, qui dum nullis eam blanditiis capi videt, & domum ducere jam desperat, vinculis certè captam ad Bithyniæ tribunal adducit. Hic matris pectus per filiorum latus oppugnaturus *Evodium* primò, tum minimum natu filium cuniculis verborum subruere annititur. His ubi nihil proficere se videt, in apertam vim, verbera atrocissima prorumpit. Sed plena animis verba, quibus mater ad constantiam suos firmabat, plus poterant apud filios, quàm verbera tyranni. Intereà Hyrtacus homo non jam sceleratus, sed scelus, pudicitia matronali manum afferre attentat. Sed qui pro hâc tuendâ excubabat Angelus, irruentem ita pugno excepit, ut quantumvis impudentis vultum largo sanguine erubescere tamen faceret. Post hæc Preses matri geminam mortem minatur, dum hanc sub oculis ejus filiiis geminis intentat. Sed illa Spartanâ voce hoc unicum votum suum esse dicebat, bis antè, quàm semet

3. Aug. VITÆ SANCTORUM. 483
mel mori, & filiorum prius oculos, quam
suos claudere; scire se ad hoc filios ge-
nuisse, ut essent qui pro patriâ, Cælo,
occumberent. Ergo in flammantem for-
nacem unâ omnes injiciuntur. Et ecce
continuò Superi probarunt & ad sese ra-
puerunt aurum. *Ex actis S. Anastasia.*

*Cum sis adolescens, silentium & diligen-
tiam cole: diligentia enim te gratum con-
servat; silentium autem animæ lucem tue-
tur, nec splendorem ejus tenebris obrui sinit;
semper denique & in omni actione comes
tua sit humilitas. S. Ephrem de vita spirit.*

S. PETRUS EPISC. 3. Aug.

EX principum Salernitanorum stirpe
ajunt oriendum PETRUM. Sed ut in
nobiliorem etiam familiam transfret
D. Benedicti, non dubitavit purpuram
cum cucullo mutare. Attulit tamen hic
alteram illi purpuram, cum Pont. Ana-
gninæ ab Alex. Pont. Max. datus est. Sed
nos illud multò pluris facimus, Cæli-
bus tam familiarem Petrum fuisse. Eté-
nim cum dubitatio suborta esset Agna-
niensibus, num D. Magni ossa penes se
haberent, eam ex omnium animo delevit
ipse Magnus, & testis suus ipse verissimus
feminæ a paralyfi afflictæ (excubare eam
Petrus ad tumbam Divi jussérat) sub no-
ctem conspicuus suam præsentiam Epis-
cope, simul sanitatem agræ nuntiavit.

Hh 2

Idem

484 VITÆ SANCTORUM. 3. Aug.
Idem D. Magnus PETRUS oranti visus
iter illi Constantinopolim indixit &
simul itineris rationem edixit, ut quod
valetudinem Imperatori allaturus, &
invicem, quidquid postulasset, esset a-
blaturus. Itur ergo Constantinopolim ad
Michaëlim. Sed negat hic se vel Ana-
gniam vel Medicum D. Magnum nosse.
Ut igitur nosceret, nocte insequenti cum
morte luctanti Imp. spectandum se obtu-
lit ipse, Magnus & cum Magno *Virgo*
Maxima, monuitque PETRUS crederet, me-
dicinam morbo facturo. Accerfitur igitur
hic, & valetudini restituitur Michaël
Rogas, quâ medicinâ? Saluberrimo
Maria & Magni nomine. Pretium ope-
ræ porrò PETRUS suæ Anagniam hoc
retulit, ut sumptus Imp. Michaël face-
ret in adem maximam ædificandam suf-
fecturos. Sed neque hæc licèt magnifica
explere oculos potuit PETRUS. Ad cæli
igitur templa abiit. Eodem tendis? per
nostra in illa itur. *Ex Ferrar.*

*Exhibeamus nos sicut Dei ministros in
multâ patientiâ, diffundentes odorem il-
lius circumquaque, adversa tolerando: si-
cut enim aromata odorem suum, cum in-
cenduntur, expandunt, sic in nobis quod
virtutibus redolet, per patientiam innotef-
cit. S. Laur. Iust. lign. vitæ.*

S. DO-

S. DOMINICUS CONF. 4. Augusti.

ALterum ecce orbis labantis columen
 DOMINICUM. Certè innoc. Pont. Max.
 subjicere humeros ruinam meditati La-
 teranensi ædi vidit. Certè flagrantem à
 tergemino vitio orbem totidem telis ca-
 stigaturo *Filio Mater* clypeum cum FRAN-
 CISCO DOMINICUM objecit; ut jam mi-
 nus mirer necdum natum sive ore fa-
 cem, sive fronte stellam prætulisse. Et
 verò etiam hodie lucet in Filiis, qui dum
 sanctioribus rosis lilium (*Virginem*)
 colunt; dignos se probant, quos
 (quemadmodum ipse DOMINICUS
 habuit videre) velut pullos suos nunc
 pallii sui alis foveat *Magna Mater*, nunc
 dormientes invisat benè precabunda. Il-
 lud omnium bono ex *Virgine* Divus in-
 tellexit toties advocacionem pro nobis
 in cælis ad Filii pedes facere, quoties
 è terris ADVOCATAM solenni for-
 mulâ *clamamus*, ut qui rei non clamant,
 sibi, non Advocatæ adscribant, si pe-
 reant. Porrò DOMINICUS quatuor
 omnino Infulas, quas alii tam studiosè
 capiti quærunt, generoso fastu pedi-
 bus ipse subdidit; ter noctu pœnas à
 tergo suo, pro se primùm, tum pro vi-
 ventibus in graviore noxâ, demum pro
 agentibus in igne piaculari manibus ex-
 poposcit. Mitto in homines, demones,

436 VITÆ SANCTORUM. 5. Aug.
adeoque Superos imperium ; quippe
cum toties jam hos exoraret quos oraret.
Illud memorandum , qui *Maria* vixerat,
non sine *Maria* demortuum esse. Affuit
hæc, neque sola, sed inter *Filii* & *Cx-*
litum comitatum ad astra abduxit. Viam
inquiris? per Rosaria ivit D O M I N I
C U S. *Ex vitâ.*

Nemo gratuletur homini, qui prospera-
tur in viâ suâ, cujus peccatis deest ultor,
& adest laudator. Major hęc ira Domini
est: irritavit enim Dominum peccator, ut
ista patiatur: id est correctionis flagella
non patiatur. August. super Psal. 7.

DEDICATIO S. Mariæ AD NIVES.
5. Augusti.

A Nnus agebatur Christianus supra
CCC. LXV. quando Romæ civis
fuit patricii sanguinis, & huic *Ioannes*
vocabulum. MARIAM puto expectas
Mariane, cum *Ioannem* audis? Rem lo-
queris. Fuit huic conjunx digna conjuge
suo, fuere opes ingentes, sed spes nato-
rum nulla, & in his etiam nepotum de-
collaverat. Tandem, quid ô! quid ter-
ris, ait *Ioannes*, ignobiles & mecum
morituros hæredes quero? quin cælo ad-
scisco? & an explere dignioribus nomi-
nibus ceras possum? Certè opibus unica
MARIAM digna omnibus est. Imò *Ioannes*
non sum, si hæredem MARIAM non scri-

5. Aug. VITÆ SANCTORUM. 487
scribo. Eja igitur Virgo, tu solā jam
tabulas imple. Filio si careo, certē tu
non cares, qui cum animum aeternum
oblectem. Audiit JOANNEM MARIA,
& assem omnem in montem Exquili-
num conferre jussit templo exadificando
eo in loco, quem postero mane nivibus
insignem esset factura. Et erat tunc æstus
longē maximus & facilius utique gran-
dinem quā nives daturus. Adit tamen
JOANNES locum, & reperit undique
niveo vellere vestitum. Sed & Liberius
Pont. Max. in somno à VIRGINE mo-
nitus accedit & fundamenta templi ja-
cit, quod per omnem orbem hodie cla-
rum MARIÆ MAIORIS nomen gerit.
Miraris, Sodalis, miraculum? laudas
templum? At tu castas ostende sis mihi
in animis nives plures; plura ego VIRGI-
NIS templa monstrabo. *Ex Brev.*

*Merito in te ò Maria virgo respiciunt o-
culi totius creatura, quia in te, & per te,
& de te benigna manus? Omnipotentis
quicquid creaverat, recreavit. S. Bern.
serm. 2. in festo Pentecost.*

S. OSWALDUS REX C. 5. Augusti.

Purpuram quibus tingunt, etiam O s-
WALDUM laudabunt, Angliæ Re-
gem, qui suam suo iterum sanguine tin-
xit. Dubium planè reliquit, an Christi
hostes vicerit, an ab his victus deinde sit

Hh 4 glo-

488 VITÆ SANCTORUM. *S. Aug.*
gloriosius. Pugnaturus cum parvâ ma-
nu contra ingentes Britonum copias,
trophæum tamen ausus est ante victo-
riam ponere Crucem, quam adorasse illi
cum suis, vicisse fuit. Abhinc regni
Christiani proferendi cupidissimus di-
gnum rege munus est arbitratus, dicenti
ad populum Aidano Antistiti interpre-
tem assistere. Pium animum illud prodit,
quòd sub solemnes paschatis dies non
modò qui mensæ illatierant, cibos, sed
ipsam etiam argenteam lancem in frustra
cadere & absumi à rogatoribus voluerit.
Aidanus, quem tum mensæ adhibuerat
OSWALDUS, tam benignam manum am-
plexatus atque exosculatus fertur jussisse
nunquam exinde putrescere. Et parere
hæc visa est, cum cæso sub annum DC.
LII. à Barbaris domino, loco infami unâ
cum capite suspensâ annum integrum in-
tegra (uti & deinceps) perduravit. Ipse
OSWALDUS tunc quoque cum in acie oc-
cumberet, supinis pro more in calum
manibus orare in genibus deprehensus
est, eodemque loco ad hominis altitudi-
nem egesta humus omnes morbos vicit,
ut vel ideo voluisse illic cadere OSWAL-
DUS videatur, quo agri tot inde surge-
rent. *Ex Sur. & Graf.*

*Viderationem; facile judicabis parrici-
diali crimine contemni pauperes nostro arbi-
trio, quos nullo videmus à nobis DEI opere
discritos. S. Pauli ad Aletium ep. 31.*

S. AFRA-

S. AFRA MARTYR. 5. Augusti.

Quam neque naso dedit Metamor-
 phosin, nos damus ex Venere Dia-
 nam, AFRAM inquam Augustæ Vinde-
 licorum probrum primò, post unicum
 decus. Magdalim diceres alteram, nisi
 quos hæc lacrymis, illa ignibus etiam
 ignes plecteret. Diis devota omnem
 jam pudorem malè prodigalitaverat, cum
 Narcissus Præsul fidem Christianam exul
 circumferens tectis impuris successit.
 Hic AFRA, dum prædam captat, pre-
 cabundi primò ad mensam modestiâ,
 dehinc verborum de Deo, quibus cibos
 identidem condiebat, suavitate illecta
 ipsa capitur; simul amoribus nuntium
 mittit, simul Christo totam se dedit,
 exemploque suo mox matrem Hilariam
 & scelerum nuper socias tres ancillulas
 trahit. Tantum odor castus unius Narcissi
 potuit! Doluit sanè hoc nequam ge-
 nio, qui propalam visendus multis que-
 stus est animam olim suam AFRAM sibi
 extorqueri. Hæc interea opes malè par-
 tas benè inter pauperes dividens, vitam-
 que veterem castissimis coloribus emen-
 dans, jubetur à prætore Cajo, misso
 Christo, ad Veneris sacra redire, Vulca-
 no, ni pareat, sacrificanda. Maluit hu-
 jus quàm illius ignes ferre. Itaque palo
 alligata cum è pyrâ ardente fumos da-

H h 5 mo-

492 VITÆ SANCTORUM. 6. Aug.
monis astusque Cupidinis risisset flam-
mas inter cælo se intulit, quò mox mater
etiam & ternæ famulæ, quòd Lacrymas
rogo & tumulo *Afra* affudissent, alio ex
rogo evolarunt. Ipsa Venus puto miraba-
tur ad tot ignes frigere sese. *Ex Surio.*

*Dum carnalis vita corrigitur, & usque
ad abstinentiæ atque orationis studium
pervenitur, quasi jam in altari caro incen-
ditur, ut inde in omnipotentis DEI sacri-
ficium redoleat. S. Greg. in Moralib.*

SS. JUSTUS & PASTOR MM.
6. Augusti.

IUSTUM & PASTOREM germanos
fratres : duo sidera, Castorem & Pol-
lucem dicerem, nisi feliciori sorte unà
uterque è cælo adolescentiæ præluce-
ret. Involvetat velut turbo omnem Hi-
spaniam furor. Daciani, & Complu-
tum jam pervenerat ; cum hi pueruli,
abjectis ultrò tabellis, è ludo literario in
campum prodire properarunt, factis
ostensuri, quantum in Christianâ Philo-
sophiâ profecissent. Dixisses ad gremium
matris currere, itu ad carnificum ma-
nipulos parili cursu contendebant. Da-
cianus ubi hæc inaudit, virgis cædi im-
peravit. Sed illi ad imbellem scholæ me-
tum ridere scilicet ; supplicia hæc ti-
midæ ætatis dicere, quæ sæpè nec pueris
lacrymas excuterent. Alia itaque tor-
menta

7. Aug. VITÆ SANCTORUM. 491
menta promeret, Tyranno digna, & cum
iis rem sibi cogitaret, qui prætexitam cum
superstitione jam posuissent. Et verò vi-
ctoriam jam tum desperans Dacianus,
non admissos educi extra urbem ad sup-
plicium iussit. Illi in amplexus ruere, no-
vo more frater fratri mortem gratulari;
hoc demum Christianæ Philosophiæ esse,
mortem pro Christo contemnere; hoc
germani fratris, germano immori, nec
fatis disjungi, quos uterus matris jun-
xisset. Ita animosi, & pleni, que in vul-
tum etiam promicabat, lætitiâ, caput
securi subdiderunt. Age nunc, quid ad
hos discipulos Complutum, vel ipse
Cordubensis Philosophus? Certè Dacia-
nus quamprimùm aliò se contulit, non
ausus porrò cum viris congregari, tam tur-
piter à pueris victus. *Ex Baron. & Lippeloo.*

*Si vires tuæ in pugnando sint parvæ,
Christum invoca adiutorem. Cùm te per-
spexerit fideliter invocantem, qui pro te
pependit in ligno, & hic victoriam, &
coronam victoriæ præparabit in celo. S.
Aug. l. de symb.*

S. ALBERTUS C. 7. Augusti.

E Tiam ALBERTI splendorem præ-
via ab utero matris lux indicavit. Et
rectius *Maria* quàm hujus filium dixe-
ris; quippe quem sterili eâ lege illa dedit,
ut bonâ fide suo servitio olim hæc red-
deret.

492 VITÆ SANCTORUM. 7. Aug.
deret. Moram ipsis, quibus jungere se
ALBERTUS parabat, Carmelitis quos
vocant, interponentibus graviter nihilo-
minus Deipara parentes objurgavit. Ni-
mirum furtum hoc esse, cælo dicatum
terris velle mancipare. quid simiæ catu-
lum amarent? parum interesse veneno,
an amplexu partum enecarent. ut dare
prolem, ita auferre, cum luberet, Superos
posse. Audite parentes omnes: his moni-
tis illi manum Deo, filium omnibus dis-
ciplinis excultum, posthabitis etiam re-
giæ puellæ nuptiis, religioni dederunt:
quoque magis jam Virgini sacrificium
placeret, suismet manibus ad ejus aram
candidissimam hostiam stiterunt. Hic
ALBERTUS orcum rivalem sponsæ vul-
tum præ se ferentem res sibi scilicet jussit
suas habere. Subinde fatigatis obsidione
& fame civibus tres cum comœatu tri-
remes cælo remige impetravit. Hebræos
complures aquarum vi abreptos in sicco
restituit, sicco ipse pede undas percur-
rens. Jam mortem, quem cælesti voce
edoctus obiit anno M. CC. XCII. æs
campanum sponte sonans, integritatem
corpusculi odor suavissimus, beatitatem
animi duo Angeli prodiderunt, qui du-
biis an ut Cælitum colerent, an ut mor-
tuum lugerent hominibus, sub initium
rei divinæ illa verba *Os justi* præiverunt.
Nostras mortes ô quàm rectè lugemus!
Ex Sulpio.

Quic-

8. Aug. VITÆ SANCTORUM. 493
*Quicquid illud est, quod offerre paras,
Mariæ commendare memento, ut eodem ad-
veo ad largitorem gratiæ gratia redeat, quò
influxit. S. Bern.*

S. MYRO EPISC. 8. Augusti. 1

Nullæ ceræ ornavunt MYRONEM, sed
virtutes multæ, quas quidem neque
numerare in hac pagella possumus, uti
nec pauperes, quos pulchro ordine stan-
tes per atria quotidie laudare nobilem e-
jus manum vidisses. Seminabat ille in
hos, quidquid ager, quem colebat, di-
ves dedisset; in fures etiam liberalis. Nam
fortè ex his XII. in horreum se penetra-
verant MYRONIS. Ibi cum saccos fru-
mento, scelere animum onerassent, in-
jecit Deus furacibus manibus arcana vin-
cula, crevitque in tantum facinoris pon-
dus, ut ne humo jam tollere onus pos-
sent. Intervenit interea MYRO, & cum
illi trepidi alia vincula sperarent, illis
missionem dedit, & tergo improborum
non, quod meruerant, patibulum, sed
saccos, de quibus diximus, bene fartos
suâ manu imposuit, emisitque gravi sup-
plicio mactatos. Interea nihil decessit
de MYRONIS opibus, quas ille scili-
cet eo loco, ad quem fures non adre-
punt, celo recondebat. Sub hæc virtus
sacerdotio, mox Episcopatu & miracu-
lis est honorata. Nam & per medium
fu-

494 VITÆ SANCTORUM. 9. Aug.
fluvium Tritonem viam sibi fecit, &
miffo pōft, pro fuo in illum imperio,
fcipione, coire iterum Moyfes nofter
juffit. Sed & Herculem in illo agnoviffes,
cū ingens monftrum draconem clavā,
hoc eſt, oratione dejecit. Exinde reli-
quam vitam tranſegit tumultis Divorum
exornandis, dum centenarius eundem
honorem etiam ipſe meruit. *Ex Menais.*

*Non videbit diem malum, qui dies bonos
habere pauperem fecit: videbit diem ma-
lum, qui diem judicii ſine advocacione pau-
pertatis intravit: ſine cauſa accuſant pec-
cata, quem pauper accuſat. Excufari non
poſteſt, quem ſames pauperis accuſavit.
S. Pet. Chryſol. ſerm. 14.*

SS. FIRMUS & RUSTICUS MM.
9. Auguſti.

SOciarunt & pugnas & triumphos
FIRMUS & RUSTICUS, ipſam-
que adeo, quod vitio aliis datur, patriam
Veronam triumpharunt. Verberibus hæc
primò pugnavit, ſed illi glorioſum duce-
bant patriæ plagas oſtentare acceptas à
patriâ. Jam in carcerem cū descende-
rent, Capitolium videbantur petere. In
carcere cū cibum victoribus Tyranus
victus negaret, triumphales epulas
Angeli pararunt. Ad has in teſtarum fra-
gminibus velut in roſis ſuaviter illi ac-
cubabant. Fame ſic pulſâ ſanguinem ſa-
cie.

9. Aug. VITÆ SANCTORUM. 495
tiebant fundere. Et verò gladio cæsi hunc
quoque libarunt. Porro funus utriusque
Cælites curarunt mercatorum os habi-
tumque induti, & nobiles merces (ossa
Divorum) non procul Carthagine depo-
suerunt. Horum pretium indicavit ge-
nius malus ex alieno ore locutus, præ-
sentiaque horum mirè discruciat. Ita-
que in Istriam translata corpora. Sed &
Istri tanti hæc æstimarunt, ut expetenti
Veronæ (cui imbrem cælum tam diu
negaturum se dixerat, dum in urbem
Divi exules revocarentur) non aliter ven-
dere voluerint, quàm aureo tanto appe-
nio, quantum corpora penderent. Sed
faverunt patriæ potius licet ingratae Mar-
tyres, cumque ad libellam examinaren-
tur, tam leves se præstiterunt, ut ex cor-
rogato auro triens sufficeret. At verò
tunc primùm magni ponderis apud pa-
triam fuerunt. *Ex Mombrit. & Pet. de
Natal.*

*Homo, quid commune cum terris tibi,
qui confiteris tibi genus esse de cælis? ergo
caelestem vitam monstra in habitatione ter-
renâ; quia si quid in te gesserit terrena co-
gitatio, celo maculam, caelesti generi inju-
riam intulisti. S. Pet. Chryf. serm. 71.*

S. LAU-

Ducebatur ad mortem Sixtus Pont. Max. & ecce LAURENTIUS ex-
 postulare cum hoc cœpit, non quòd ad
 præmia iret, sed quòd fide filio pater i-
 ret. Enimverò qui ad aram socius fue-
 rit, ad crucem se futurum. Ad hæc Six-
 tus: Suum esse præire, ministri sequi;
 suum, hæredem vitæ relinquere, cuius
 si fuisset, propediem etiam mortis futu-
 rum; thesauros interim Ecclesiæ tyranni
 manibus subduceret. His lætior LAUREN-
 T I U S confestim opes omnes sacras in
 pauperum sinus abdit, hi cælo condunt.
 Valerianum deinde hiantem & inhian-
 tem ad templum ducit, & pauperem lon-
 go ordine de ponte gregem monstrans,
 Hi, inquit, thesauri, quos orbis habet,
 sunt maximi, quinto hos ambis avarus,
 hos foves, & si sapis, his tuum etiam
 jungis ærarium. Hic Imperator virgas,
 flagra, ignes inclamare, & hæc omnia
 continuo LAURENTIO carnifices admo-
 nere, ut jam abeuntem animam Deo
 martyr commendaret. Sed è Cælitibus
 adfuit qui sudorem Athletæ & sangui-
 nem linteo abstergeret. Tyrannus inte-
 rim os LAURENTII saxi, hic verò
 aures tyranni verbis liberrimis, pulsavit.
 Ad extremum craticulæ superinjectus,
 & lento igne tostus, non tamen insultare
 Vale-

II. Aug. VITÆ SANCTORUM. 497
Valeriano destitit, sed subinde arridens
illi, *Verte*, exclamavit, & *manduca*. Et ille
quidem hoc epulo indignus fuit. At cæ-
li, quos jam dudum odor nobilissimi con-
vivii exciverat, ad se tam nobile fercu-
lum rapuerunt, & convivas, si modò pla-
cet, etiam nos habere peroptant. *Ex Lip.*
& *Baron.*

*Quis nolit ad horam uri Laurentii igne,
ut æternum gehennæ non patiatur incen-
dium & ejus exemplo provocamur ad marty-
rium, & accendimur ad fidem, incalescimus
ad devotionem, & si in nobis persecutoris
flamma deest, fidei tamen flamma non deest.*
S. Aug. serm. de S. Laurent.

S. ALEXANDER EP. II. Augusti.

IN uno vultu & Philosophum, & Car-
bonarium, & Episcopum, & Christi
Martyrem agnosce. Poterat equidem
ALEXANDER inter sapientiæ candida-
tos facile princeps esse, cum ipsi jam ho-
nores suum clientem ambirent. Sed ma-
luit ille honestiore ambitu sordidatus cæ-
lum prensare & inter silvas abditus, qui-
bus stultissima mundi vota notaret dam-
naretque, carbones facere. Interea ad-
venit Gregorius Pont. (is qui à magnis
mirisque factis nomen habet) Comanis
Præsulem daturus. Hic cum omnium
voca in opulentos & genere ac eliente-
lis nobiles spectarent, unus Gregorius

. Ii vireu.

498 VITÆ SANCTORUM. II. *Aug.*
virtutem potius ait in folium extellen-
dam, ubi demum illa etiam sub lacero
pallio latitaret. Quin igitur (cum resu è
turbâ nescio quis subdit) dictatorem ab
aratro nobis, aut certè à carbonibus suis
ALEXANDRUM adduci imperas, splen-
dentemque jam antè à rogo suo infulâ
insuper exornas? Enimverò Numine ita
suggerente jubet adduci hominem Pon-
tifer: mox indolem & modestiam al-
tius æstimans pro imperio vitæ ordinem
sibi explicare; eâ intellectâ & sordibus
absterfis mitrâ indui, indutum ad con-
cionem dicere jubet. Tunc enimverò
ALEXANDRUM Præsulem suum cives
jam non inviti salutarunt, finiitque cum
plausu fabula. Ille cum sanctè diu mu-
nus suum administrasset, à fidei hosti-
bus demum igne exustus iterum carbo-
nes dedit, sed quibus Ecclesia hunc
diem pulchrius quam gemmis suos olim
antiquitas signat. *Ex S. Gregor. Thaum.
& Viriel. Rader.*

*Omnes delectat celsitudo; sed humilitas
gradus est. Quid tendis pedem ultra te?
cadere vis, non ascendere; à gradu incipe,
& ascendisti. S. Aug. epist. 18.*

S. SUSANNA VIRG. MART.
II. *Augusti.*

U Nam lex vetus nobis SUSANNAM
laudat, pudicitia matronalis exem-
plar;

II. *Aug.* VITÆ SANCTORUM. 499
plar; multò rectius nos alteram, virginitatis speculum & post sanguinem pro Christo fusum longè pulchriorem illà alterà. Quare oculos etiam Maximiani in se, sed longè antè Christi rapuit; cuius thalamo ut servaret sese, illius amores contempsit. Quid, quod eos, qui conciliare *SUSANNAM* Maximiano ad laborarunt, priùs *SUSANNA* Christo conciliavit; Eam ob rem cùm grave virgini certamen immineret, ab Imperatrice Serenà (Christo clam jam tunc addita hæc erat) in aulam evocata est. Ibi cùm totos dies precibus se & adhortationibus mutuis armassent, in pugnam denique proditura *SUSANNA* domum concessit. Nec multò post adfuit Maximianus & malis aspiciis amoris ædes castas necquicquam oppugnavit. Nam rectius *SUSANNA* Angeli ductu pugnavit, qui ab adibus repulit profanum. Successit Maximiano Imp Diocletianus, Macedonio missio, qui ad Deorum sacrificium velut ad fœdus invitaret tam fortiter decertantem. Sed nimirum geminum hostem triumphare etiam hæc *SUSANNA* debebat. Et verò triumphavit, rectiusque Deo ipsam humi afflictam dæmonis statuam sacrificavit. Mox eidem post multa verbera gladio casta sanguinem etiam suum litavit. Istum peplo suo excepit Serena, domumque veluti ingentem thesaurum reportavit.

400 VITÆ SANCTORUM. 12. Aug.
Et reverà purpuram, qualem nunquam
antehac etſi Imperatrix, & in eà tot
gemmas, quot guttas portabat. *Ex Surio.*

*O anima, qua in te Christum habes, at-
tende tibi, tibi ipſi ſaca: immortalis eſt
Christus ſponſus tuus; cave eum deſeras,
ne ab eo derelicta diligas inimicum tuum
ab omni juſtitia pulchritudine remotiſſi-
mum. S. Ephrem de exercitat.*

S. CLARA V. 12. Auguſti.

Francisci illuſtris partus vergo CLARA
eſt, mater eadem omnium virginum,
quæ Franciſci inſtitutum æmulantur,
jam antè parenti ſuæ, quàm naſcere-
tur, à Chriſto è cruce latidata. Ergo
unicum ſexûs ſui miraculum ea facere
molles virgunculas docuit, quæ multi in
viris miramur, pauci imitamur. Aſper-
ritam vitæ rationem, atque ultimam,
quam in ordinem ſuum invexit, pau-
pertatem cordi DEO eſſe vel tunc pro-
bavit, quando abundare in vacuo etiam
vaſe oleum fecit, & dimidium panem
quingenta omnio virginibus ſuffice-
re. Neque erravero, puto, ſi Moysi
etiam feminam æquiparavero. Certè
obſidione gravi cùm Aſſiſium cingere-
tur, precibus ante Eucharisticum epu-
lum CLARA depugnans omnes in fu-
gam hoſtes egit, certiorque de victoria
ab ipſomet ſponſo Chriſto eſt facta.
Ab

13. Aug. VITÆ SANCTORUM. 501

Ab hoc aliàs nunc ad nascentis cunas, nunc ad patientis tormenta spectanda cum evocata esset, Crucis deinceps signo ita usà est, ut contra morbos Alexiteriorum, contra orci minas Pano-
pliæ vicem esset. Jam moriens uti è terris cum purpurato senatu summum Pont. ita cælis cum candido virginum agmine virginum Reginam, & cum hac summum Numen ad se pertraxit; itaque in cælo fuit, antequàm fuit. *Ex Surio.*

Sanguine Agni servatur domus à percussione Angeli: & aquâ maris rubri extinguuntur inimici, quæ sunt mysteria Christi. Hieron. super Luc.

S. CASSIANUS EP. ET MART.

13. Augusti.

Pulchriùs longè **CASSIANUS** post Pontificatum, quem apud Brixentas gesserat, quàm post Regnum olim Dionysius, ludum in foro Cornelii exul aperuit, non ignarus has demum illas esse rasas tabulas, è quibus nec senectus mores expungat, quos olim infantia inscripsit. Sed heu! quoties juvenus indignum tuis Doctoribus Minerval ingrata perfolvis? Rapitur ecce ad iudices **CASSIANUS**, & impietatis in Deos damnatus pueris traditur exearnificandus. Nulla mora. Convolant velut ad ferias literarias pessimè feriati, & ad pœ-

Ii 3 nas

502 VITÆ SANCTORUM. 13. *Aug.*
nas magistrum nudem discipuli vocant.
Pars tabulas capiti illidunt franguntque,
pars graphiis, nunc punctim, nunc ver-
io stylo cæsim invadunt, vulnera iden-
tidem convitiis interpolantes. Alii nunc
demum sibi literatum videri præcepto-
rem clamare; alii rogare, num rubrico
hæc placeret? num amplius satis latusque
stylus esset? sātne acutum foret epigram-
ma, quod exararent? Alii denique
hortari se mutuò, ne otiosi essent; hoc
præceptoris semper unicum preceptum
fuisse, nunquam stylum ponere, semper
aliquid scriptitare. Et fortè unus è turbâ
aliquis: Ingrati non erimus. CASSA-
NÆ magister, multas fateor tibi de-
bemus, sed, hem! quas accepimus
omnes reddimus, & cum fœnore, pla-
gas. Quæ rebat interea per mille vul-
nera exitum ingens anima, nec repe-
riebat, usque dum omnia in unum con-
fusa victrici in cælum viam fecerunt.
Ex Prudent.

*Spem tuam omni horâ in Deo pone, &
quidquid tibi accesserit, sive bonum sive
malum, ex toto corde semper dic, Deus in
adjutorium meum intende. Si vis saluus
esse, versiculus iste de corde tuo non rece-
dat: cum ipso dormi, & cum ipso vi-
gila. S. Aug. serm. 1, de Iejun.*

S. RA-

S. RADEGUNDIS REGINA.

13. Augusti.

Salve nitidissimum coronæ Gallicæ lili-
 um, Salve RADEGUNDIS! & tu
 Mariane, eia mecum odoribus pascere,
 quibus cælum gaudet. Supere! Rigis fi-
 lia, & Regi nupta ecce mendicabulis fa-
 mulatur, opobalsama ducit pædorem &
 nauteam: exesa scabie capita & quas
 lingua nominare fugit ultimas fordes
 dignas gemmas putat, quas regiâ ma-
 nu tractet. Inter delicias esurit, inter
 falerna sitit: purpuram pulchrè cilicio
 suffulcit: superbit tergemino torque;
 sed ferreo, sed carni nudæ jam innato
 potiùs quàm illigato. quid? annè re-
 gnum etiam calcat generosa? ecce aulam
 Asceterio, Clotarii lectum Christi tha-
 lamo permutat. Quid amplius à feminâ
 sperem? & tamen nescio quid amplius a-
 mor ingeniosus meditatur. En flammæ
 hic subdit, manum armat, æneam candem-
 temque plus à suis quàm alienis ignibus
 Christi effigiem corpori inurit, dum cor-
 dit cupit. Falleris ô RADEGUNDIS
 si animo insculptum nec dum credis. in-
 de prototypon manus sunt mutuata. Ni-
 mirum hæc cælo vin faciunt. Adest Deus
 amatus & amantis etiam ipse vultum
 indutus blanbitiis amantem demulcet,
 & coronæ suæ pulcherrimam eam

Ii 4 unio-

504 VITÆ SANCTORUM. 14. Aug.
unionem appellat. Sed & paranymphi
Angeli sponsæ morienti adsunt, & can-
tu ah nimum suavi animulam evocant.
Quid ô Angeli ! quid suum terris lilium
eripitis ? Ah alia saltem celo semina spar-
gite. despero ; imò ex horto Mariano
spero. *Ex Surio.*

*Christus opprobria, irrisiones, contume-
lias, alapas sputa, flagella, spineam co-
ronam crucemque sustinuit : & nos miseri
ad nostram confusionem uno sermone fati-
gamur, uno verbo dejicimur ? Isidor. de
summo bono.*

B. STANISLAUS KOSTKA.
14. Augusti.

STANISLAUS ex illustri apud Polo-
nos Kostkarum familiâ, cum Viennæ
Rhetoricæ operam daret, Mariam ferè
laudandam sibi sumpsit, latum videli-
cet oratori campum. A fratre majore
etiam verbera passus, non tamen ideò
minùs aut virtutem coluit, aut sacrum
epulum frequentavit, ad quod semper pri-
diano jejunio famem acuebat. Inde hoc
ipsum ægro, cum ter irruentem in se Sty-
gis Cerberum Crucis ligno fugasset, D.
Barbara inter Angelos ministravit ; mox
ipsa *Mater* languentem recreavit, col-
locato puero **JESU** in decumbentis le-
ctulo : abiens deinde monuit, Socie-
tati **JESU** nomen daret. Cui rei cum
obicem

14. Aug. VITÆ SANCTORUM. 505
obicem posituri essent frater ac parentes,
fugâ elapsus Delingæ in convictorum
ædibus tam nobilis hospes mediastinum
egit : Romæ in Societatem receptus
iis divini amoris facibus arsit , ut re-
creare frigidâ pectus æstuans fuerit ne-
cesse. Itaque cælo jam maturus cum præ-
legi sibi patronorum nomina (menstruo-
rum præcipuè) jussisset , nunc in *Jesu*
effigie vulnera , nunc in *Mariæ* , ubera
deosculans , & utriusque nomina incla-
mans expitavit , pridie *Virginis Assum-
ptæ* ; quam num amaret rogatus. Quid
ni , inquebat , *Mariæ* amem matrem
meam ? ita enim eam appellitabat , novos
semper de illa titulos & magnifica ver-
ba excogitans. Utique igitur *Mariæ* mater
Stanislai , sed & filius *Stanislaus Mariæ*
fuit. Utinam plures fratres numeraret !
Ex Franc. Sacchino.

*Panem cælestem spiritualiter manduca-
te , innocentiam ad altare portate. Mentiri
Deo potes , Deum fallere non potes ; novit
ille quid agas : intus te videt , intus te exa-
minat , intus inspicit , intus judicat , aut
damnat , aut coronat. S. Aug. tract. 26.
super Joann.*

ASSUMPTIO B. MARIÆ VIRG.
15. Augusti.

A Ge penna , quid humi repis , dum
VIRGINEM laudas ? altius vola,
Ii 5 & su-

506 VITÆ SANCTORUM. 15. Aug.
& supra cælos laudibus hodie merentem
tolle. Sequimini Sodales, si germani
MARIÆ pulli estis, Crescebant, & o-
culos cæli multum delectabant primi Ec-
clesiæ flosculi, cum hos è cælo Filius,
in terris Mater foveret. Sed denique il-
le matrem terris, hæc Filium cælis invi-
debat. Ergo igitur iterum boni nuntii
bajulus Gabriel adest, & ad suavissi-
mum mortis somnum invitat. Adsumt
interim divino nutu, qui toto orbe di-
visi erant Apostoli, & lectulum abitu-
rientis ambiunt. Cerneret pro virgine
certantem cum cælo terram. Hinc filii
lacrymis retinent, & amplexu moran-
tur; illinc suavissimi Cælitum moduli a-
nimam beatam policiunt, trahuntque ah!
sponte properantem. Suscipit proinde
matrem Filius, sinumque pro sinu re-
pendens illuc evehit, unde unum illa
Deum suspicit, alia omnia despicit. So-
labatur terra luctus suos opimo spolio,
corpufculo Virgineo, sed etiam hoc bre-
vi spolianda. Etenim cum, ita Numine
volente, feriùs è XII. proceribus Tho-
mas advenisset, & amissam Matrem et-
jam in tumultu mœstus quæreret, præter
linthea, tam magni thesauri nuper invo-
lucra, nihil reperit; quòd cælum etiam
Corpus subduxisset. Ah liceat amplexis
pedes, & in hederæ morem alligatis di-
cere: Nunc, si terram nauseas, Virgo,
scande Cælum. *Ex Brev. Rom. &c.*

P14-

16. Aug. VITÆ SANCTORUM. 507

*Præcessit nos Regina nostra, præcessit,
& tam gloriosè suscepta est, ut fiduciali-
ter sequantur Dominam servuli clamantes,
Trahe nos post te ; in odorem unguento-
rum tuorum curremus. S. Bern. serm. 1.
de. Ass. B. M. V.*

S. ARNULPHUS EP. 16. Augusti.

Sæpè matres & viva filiorum funera
malè rident & malè lugent mortua; id
quod ARNULPHI etiam pater primò
factitabat, dum quem primum enixa est
filium, spem unicam familiæ, sed mor-
te intempestivâ sublatum non posse de-
flectere satis sibi videbatur. Sed monuit
bonus Genius æquo animo ferret,
quod non posset non ferre ; qui ma-
ximè oculis arriderent flores, hos pri-
mos carpi. Non invideret filio Cæli con-
tubernium, in omnia vitia, si porrò
ivisset, atque ad eò latronum societatem
abripiendo. Potiùs nascituri alterius fi-
lii spe animum erigeret, qui vitæ sanctio-
ris famâ orbem esset impleturus. Atque
hic ARNULPHUS noster fuit, aulam
primò & militiam, tum monasticen se-
cutus, eo semper vitæ tenore, ut dubium
pænè fecerit, sanctiõrne miles an mona-
chus fuerit. Ex hoc Abbas, ex Abbate
Pontifex Sueffone ita gessit, ut extre-
mum ægro ter concussum cubiculum
ter spectaculum objecerit jucundissimum
mo-

508 VITÆ SANCTORUM. 16. Aug.
morituro. Nam primò videre Apostolorum Principem habuit, qui noxarum veniam largissimam nunciabat: mox cælestium agminum Primipilum, qui comitatum in cælum promittebat; demum ipsam cæli Reginam, quæ festo sibi, quo cælo recepta fuit, die, recipiendum cælo etiam ipsum indicavit. Tanti, ô Superi! tanti ægrotare etiam mihi foret! *Ex Surio.*

Pretiosa mors Sanctorum, pretiosa plañe, tanquam finis laborum, tanquam victoria consummatio, tanquam vitæ janua & perfectæ securitatis ingressus. S. Bern. in epist.

S. ROCHUS CONF. 16. Augusti.

N Ascitur Rochus loco per illustri in Galliâ, portentosâ Cruce à matre rubens: ætatis anno duodecimo amissis parentibus etiam opes in pauperes abjicit; ipse ditione suâ patruo commissâ, Italiam Religionis causâ petit. Hic dum laborantibus peste servitium suum addicit, magnâ omnium admiratione quàm plurimos sanitati Crucis signo restituit. Secundum hæc divinitus edoctus, quibus malis porrò exercendus esset, acutâ primùm febre tentatur, mox sagittâ coxam trajicitur. Sanus boni Angeli ope, dum in patriam repedit, iterum æger ex itinere sub arbore decumbit,

17. Aug. VITÆ SANCTORUM. 509
bit, annonam in dies singulos panem
unum cane subministrante. Redux deni-
que in suam ditionem, eandem domi,
quam foris fortunam, hoc est iniquam
reperit. Grassantibus enim per ea tempo-
ra ubique bellis, pro exploratore habitus
captusque ab ipso patruo hospitio publi-
citus, hoc est, carcere excipitur. Hoc cum
mille modis absolvere seipsum posset,
quinque ipsos tamen annos delitescit.
Tandem cum nomen tabulae suam in-
scripsisset, simul amplam sponfionem,
quã cælum omnibus peste correptis me-
dicinam ROCHI intercessionem fore e-
dixerat; peste ipse Medicus pestiferorum
decedit. Sed tanti fuit, ut liber animus è
geminò carcere evolaret. *Ex Lippeloo.*

*Quomodo tenebas sacculum, ne tibi ex-
torqueatur à fure, sic custodi innocentiam, ne
tibi extorqueatur à diabolo; sit illa certum
patrimonium tuum, de qua sunt divites &
pauperes. Quid tibi prodest lucrum auri, &
damnum innocentiae? ergo custodi innocen-
tiam? S. Aug. serm. 3. sup. psal. 36.*

S. MAMMAS M. 17. Augusti.

Qui puerum MAMMANTEM Mar-
tyrem miraris, noveris lac Martyris
bibisse. In carcere quippe natus primas
cunas vincula habuit, primum ridere
inter utrumque parentem mortuum
visus est, cum pater ante ejus orium,
mater

510 VITÆ SANCTORUM. 17. Aug.
mater non multò post obiissent. Talem
matronæ commendavit Angelus edu-
candum. Mox cùm annum ageret quin-
tum-decimum, virum jam se tyranno &
contra verbera Spartanum, contra ignes
Romanum præbuit. Undis deinde suffo-
candò iterum Genius Tutelaris adfuit,
actisq̃ue in fugam tortoribus Martyrem
in montem duxit. Hic generosus puer
tot jam penè nutrices, quot silva feras
numeravit; cùm hæ ultrò Divi mulgen-
tis manum ambirent, iisdemq̃ue deliciis
& famem nobilem & sitim pellerent.
Atque hujus miraculi fama cum aures
Præsidis pulsasset, equites misit, qui
Mammantem sisterent. Exceptit *Mam-
mas* ignaros, primumq̃ue lacte & casco,
tum ipse feratum spectaculo recreatos in
urbem est secutus. Iterum ergo plagis
sævitur, sed quas inter rideret *Mam-
mas*; iterum fornax succensa, sed in
quâ quartum pueron Babylon agnosce-
ret. Feris quoque cum objectus esset,
ursus pardusq̃ue sudorem Athletæ ab-
stergabant; leone interim, qui còmes
Martyri è monte iverat, in carnifices
grassante. Denique tridente confossus
Mammæ ilia effusa, extra urbem extu-
lit, & moriturus ipse sepulchrum spe-
luncam subiit. *Ex Metaphr.*

*Terram nesciat, amorem carnis ignoret,
nihil in se vitiiis licere permittat, qui se Dei
filium credit; actu, vitâ moribus, tanto
generi*

17. Aug. VITÆ SANCTORUM. 511
generi respondeat ; ne iterum ad terrena
descendens ad tanti genitoris tendat inju-
riam. S. Pet. Chryf. ferm. 68.

SS. PAULUS & JULIANA MM.

17. Augusti.

P Tolemaidem urbem Aurelianus Im-
perator ingrediebatur, Christianos,
si ita Diis placeret, triumphaturus ; cum
inter effusos obviam cives PAULUM
conspexit signo Crucis contra minas
improbas se armantem. Primum igitur
impetum Tyrannus in hunc fecit, suspen-
sumque cædi atrociter imperavit. Inte-
rea soror PAULI adest IULIANA ge-
minâ planè virtute, & iisdem armis in
hostem armata. Ea verbis pro innocen-
tiâ germani pugnans acriter in tyrannum
inveitur. At hic eodem supplicio jubet
affigi. Sed aërem verberabant carnifices.
Hinc in liquatam flammis picem mit-
tuntur ; sed ingressos Bajas crederes.
Mox in sellas imponuntur ab igne sub-
jecto ardentes ; sed illi inter pœnas has
verè otiosi assidebant. Ergo in carcerem
compinguntur fame longâ expugnandi.
Sed ecce nocte intempestâ Angelus ad-
est & expeditis è vinculis epulum trium-
phale fruit. Ab hoc veteres iterum pu-
gnas pugnans, inter viperas incolumes,
inter omnia tormenta salvi. Illud Lu-
LIANA peculiare, è lupanari pudorem
salvum

512 VITÆ SANCTORUM. 17. Aug.
salvum asportasse, Angeli præsidio, qui
luce insolenti, quotquot vim inferre
Virgini meditabantur, omnes excæ-
vit. Restituit tamen illa facinus dete-
stantibus oculos, & post victos iterum
ignes gladio cæsa novo more & specta-
culo nunquam Romæ viso cum Fratre
soror triumphavit. *Ex Metaphr.*

*Tale viri Christiani Apostolus voluit esse
convivium, ut magis fides Christi, quam
prandii sagina comedatur; & plus reficiat
hominem Dominici nominis frequens in-
vocatio, quam epularum multiplex & ce-
piosa collatio, meliusq; pascat religio, quam
sagina. S. Max. hom. 2. de Carn. Host.*

S. CLARA DE MONTE FALCO V.
17. Augusti.

Corculum videre te Cæli puta, quif-
quis Cor hoc CLARÆ vides tantâ
verecundiâ Virgunculæ, ut loqui aliter,
quàm vultu velato, religionem professo
germano erubuerit, vulnus etiam à
tali oculo timens, quid imò facinus
non nisi lacrymis expiandum rata im-
prudentem in somno pedem lectulo
extulisse. Huic pudori tuendo noctes
per vigilavit; infandis flammis cilicia
objecit; Cupidinem flagris, virgis &
urticis terruit; hostem verò intestinum
ultimâ fame domuit, linguamque ita
frenavit, ut vel semel tantum, matris al-
loquen-

17. Aug. VITÆ SANCTORUM. 513
loquenda gratiâ, silentium in vitâ frege-
rit. Huic virtuti insidias facturus Vetera-
tor Joannam sororem (vitâ tam sanctâ
Magistram) mentitus est, & virginita-
tem cum velo jussit exuere, ni vitâ velle
exiit. Sed rejectâ hâc adulterinâ sorore,
vitâ doctor deinceps Christus successit.
Hic modò CLARÆ vel è Matris sinu
osculum, vel seipsum manibus suis ci-
bum ferre, vel stipem mendicus aufer-
re; modò Agnelli formâ castissimâ col-
ludere, modò denique cum Cruce Spon-
si habitu adesse, & locum huic in corde
expetere. Atque tunc nobilem illam,
& quam in grandi demortuæ corde ad-
mirabundus Orbis spectavit, peractam
calaturam credimus, quæ præter ternos
ejusdem inter se ponderis globos (nobile
Sanctissimâ Triadis symbolum) omnia
Sponsi patientis arma exhibuit. In nobis
nil tale ideò Cælum sculpsit, quia dura
heu! nimis saxagerimus. *Ex monum. Eccl.
Mont. Falc.*

*Infige pectori tuo, cordi tuo signaculum
Crucifixi, infige & brachio tuo, ut opera
tua peccato mortua sint. Nihil in his crimi-
nis resuscitet, nihil erroris resurgat. Am-
bros. in ps. 118.*

Rk

S. AGA-

S. AGAPITUS M. 18. Augusti.

ETIAM AGAPITI citius annos, qui XV. tantum fuere, quam pugnas numeres. Nervis enim primò derisimè cæsus talem se præbuit, ut Sparta suum diceret, nisi Præneste sibi vindicaret. Mox in carcere quatuor diebus sine omni cibo degens suo succo, hoc est, cæli deliciis vixit. Inde iterum protractus vivas carbones in capite circumtulit, pulchrè ipso supplicio suo coronatus. Sub hæc vestibus spoliatus omnibus, ad luctam se jam expeditiorem credidit. Ab equuleo expedibus pendulus gravifus est è terrâ sublatum cælo se propiorem esse. Flagris pessimè acceptus nuditatem tunc domesticâ purpurâ textit, sanguine. Iam ubi fumum pendenti Antiochus præses subiecit, risit etiam hunc, ut cuius consilia omnia denique in fumum abirent. Tum verò geminari verbera, & perfundi pectus bulliente à flammis aquâ, & pugnis frangi malas Athletæ tyrannus iussit. Sed hic, non ille etiam hæc sensit supplicia, vi divinâ è tribunali, mox etiam è vitâ exturbatus. Aurelianus ergo Imp. morte *Agapiti* Antiocho suo parentaturus ad bestias damnavit invitum. Sed hæc cum pedes victoris lamberent, docuerunt humanitatem in feras, feritatem in tyrannum immigrasse. Tandem

19. Aug. VITÆ SANCTORUM. 515
dem *Agapitus* decollatus intra geminas
columnas dicere sine mendacio *Herculi*
potuit, *Plus Ultra. Ex Ferrar.*

Si membris integris, & valentibus flores,
noli corporis robore & viribus gloriari; sed
considera quot & quanta corpori pericula
immineant; quamvis enim ad exiguum
tempus corpus nostrum firmum sit, tamen
quid posterior paritura sit dies, ignoramus.
S. Ephrem de Vit. spir.

S. LUDOVICUS EPISC.

19. Aug.

LUDOVICUM Caroli Regis Siciliae
primò, pòst S. Francisci filium tenes.
Puerulus somnum stans humi precationi-
bus interpellavit. Caponem, quò pau-
perum prada esset, pio furto è mensâ
ablatum, cum parens id subodoraretur,
in rosas vertit. Arma ludicra tractan-
tem cum equis abjecisset, vicissim mun-
dum ludibrio habiturus, arma ipse &
equos abjecit. Quare quo die soror in
manum hominis convenit, ipse sacris
initiatus virginitatem Deo despondit,
dæmonemque sub seles insidiantem si-
gno Crucis elusit. Ager voto ad D. Vir-
ginem facto è morbo surrexit, & in
D. Francisci familiam abiit. Inde ad
Pontificatum Tolosanum evectus est.
Virginem uti in omni vita, ita in mor-
te frequentissimè salutavit. *Causam ro-*
gatus.

Kk 2

gatus.

516 VITÆ SANCTORUM. 19. Aug.
gatus id solum respondit: *Morientem illa
jurabit me.* Neque falsus est. Visus inter
Angelorum manus in caelos evolare, au-
ditæque ejuscemodi voces, *Sic fit servienti
Deo in munditie & puritate.* A morte
multi propitium mortales habuere. In-
ter hos Dionysium Lusitanorum Regem
numerant, quem ursus ex equo in ulti-
mum periculum dejecerat. Sed in tem-
pore **LUDOVICUS** è caelo adfuit, mon-
stravitque Dionysio, qui pugione mor-
tem à se in ursum averteret. Hoc benefi-
cium *Ludovici* gratumque Dionysii ani-
mum *Ædes* sacra extructa & in *Æde* E-
pigraphæ hæc (*Ludovico Servatori*) loqui-
tur. *Ex Lippeloo.*

*Si vis terrenas bestias non timere, sis vis
evitare aves rapaces, voraces vultures, hoc
est, aves aëreas, quæ sunt nequitia spiri-
tuales, elevare à terrâ, terrena desere, su-
me alas columbæ, sume pennas divini solis
fulgore radiatas. S. Pet. Chryl. serm. 98.*

S. SEBALDUS CONF. 19. Aug.

REgius sanguis SEBALDUS Sponsam
non impari conditione domum du-
xerat Virgo Virginem & pietatis amans
amantissimam ejusdem. Et sub primam
noctem ob oculos Sebaldis posuit Spon-
sam Virginem Sponsamque Iosephum, quos
utique non nisi Virgo amor junxisset.
Hos olim jam ostendisse, posse lilia casta
etiam

19. Aug. VITÆ SANCTORUM. 517
etiam e thalamo Virgine surgere. Tam
gratum cælo odorem nisi ipsa invideret,
statuisse se hæc miracula iterum orbi o-
stendere. Nihil poterant grätius audire
Virginis aures. Itaque bonum factum!
alteræ nuptiæ eâdem nocte fiunt, & vir-
ginitas conjugio copulatur. Subinde Ro-
mam *Sebaldus* abit, & in viâ ecce casti-
tati cibum potumque è cælo Ales mini-
strat. In reditu apud Ratisponenses fo-
co, cùm ligna deessent, glacies inser-
vit, & adeo virtuti jam unda flammæ
præbet. Quid? pallio instrato Istrum
trajicit (Nymphis credo castitati plau-
dentibus) talisque nauta oculos alteri
nautæ immerito effossos restituit. Mo-
ritur deinde anno D. CC. XL. cùm vi-
tam solam propter Norimbergam egisset.
Fusus feri tauri duxerunt. Adeo omnia
alia domat, quisquis carnem. *Ex Barv.*
S. Raderi.

*Ab quando tantum Deo, quantum
mundo? quando tantum cælo, quantum
terre? quando tantum virtuti, quantum
vitiis fragilitas humana famulatur? To-
tus homo sic carni deditur, ut nihil in se,
quod divinis bonis deserviat, derelinquat.*
S. Pet. Chryl. serm. 114.

BERNARDUS est, ille (invidere Mariani) Dei collactaneus, quem mater cum utero ferret, catellum putavit, sed pro Ecclesiâ lattaturum. Puer pro puer *Christus* nocte Natalitiâ visus est, nobilius omni die spectaculum. Adolefcens quòd oculum in feminam defixisset, in rigentes aquas infiliit, incendia aquis præventurus. Aliàs cum ejus pudori insidias hospita stueret, *Latrones, latrones* iterum iterumque clamavit, ratus dirissimos prædones esse, qui animum castitate exuerent. Hinc ad Cisterciense Monasterium XXX. secum socios traxit. Hos inter cum fratres omnes *Bernardi* præter Nivardum natu minimum essent, & huic Guido natu maximus inter valedicendum dixisset: *Eia frater, ze mun jam hereditas paterna spectat; supra omnes senes doctè puerulus respondit: Pulchrè verò assem dividitis; vobis cælum habetis, mihi terram reliquam facitis: at hoc fide profectò minimè germanâ.* Mox cum per ætatem licuit, fratres secutus, litem de cælo illis non ingrati fecit. Eruditionem *Bernardi* loquuntur ejus Volumina meros favos spirantia, tum præcipuè cum de melleâ *Virgine* sermo est; ut meritò ex hujus uberibus hausisse hoc nectar credamus. Sed &

20. Aug. VITÆ SANCTORUM. 519
nobis iidem fontes essent, si eadem cura
Bernardo sitis esset. *Ex vitâ ejusdem.*

*Mundus transit & concupiscentia ejus,
& relinquere hac magis expedit, quam re-
linqui. Sed nec inutilis commutatio, pro eo,
qui super omnia est, omnia reliquisse. S. Ber-
nard. sup. illud Eu. Ecce nos.*

S. STEPHANUS REX. 20. Aug.

STEPHANO nomen necdum nato ip-
se STEPHANUS Protomartyr indi-
dit. Sponsam duxit Gisela D. Henri-
ci Imp. sororem. Hæc illi Emericum,
ceterum Christo omnes Ungaros pepe-
rit. Tutelam sibi regnoque suo æternam
*Castroꝝum Acieꝝ ordinatam Virginem
Matrem* legit. Hujus enim auxilio copias
Conradi Imp. jam Ungariæ imminen-
tes avertit. Ipse inter omnes milites ma-
ximè sanctas Vigiliis nocturnas habuit,
sed preces inter; visumque sub his ip-
sum aliquando tabernaculum regium
Angelis bajulis humo sustolli, & tunc
per ærem, mox per omnium hominum
ora volare. Trophæa pietatis suæ tem-
pla ac cœnobîa per totum orbem spar-
sit. Miseros ingenti charitate comple-
xus non dubitavit deademate ornatum
caput manusque scepro armatas ad ho-
rum pedes abluendos demittere, sportu-
lamque in clientes ipse dispensare. Qua-
re factum aliquando, ut certantibus

Kk 4

his.

520 VITÆ SANCTORUM. 21. Aug.
his stipem auferre, barba etiam regis
spolium manibus appetentium cederet.
Et hoc ipsum conquestus familiariter
Virgini Stephanus fertur, durius ab ejus
militibus se acceptum, quam ab hosti-
bus sperare potuisset. Sed pilumne il-
le amitteret, qui liberalem manum mul-
tis annis à morte integram orbi osten-
dit? Hanc obiit ipso *Virginis* assum-
ptæ die. Huic moriturus unice iterum se
regnumque commendavit. Felices Un-
gari, si testamenti *Stephani* meminerunt.

Ex Surio.

*Si est ascendendi ad superna possibilitas,
si est facultas vivendi in caelestibus; quare
non calo mutamus terram? quare non cadu-
cis emimus aeterna? quare non perituris
manentia comparamus? S. Pet. Chrysol.
serm. 124.*

S. BASSA CUM. FF. MM. 21. Aug.

BA S S A non tam tergemino filiorum
partus quam morte felix vixit sub ea
tempora, quibus Maximiani ferro lon-
gè plurimi Martyres vixerunt, damo-
num sacrificulo, hoc est, agna lupo jun-
cta. Sed & filii matrem vultu, non pa-
trem retulerunt, utpote omnes Chri-
stiani. Eam ob rem unà in jus iniquis-
simum rapti, accusante ipso filios patre,
& uxorem marito damnante. Primum
ex equuleo pendere viderunt cali &
lau-

21. Aug. VITÆ SANCTORUM. 521
laudarunt *Theognium* membris lacerum,
animo integerrimum. Alterum *Agap-
pium* virgæ non puerum, sed virum pro-
barunt & sine cute jam suâ fortiorem
quàm in alienis exuviis *Herculem*. Alia
item tormenta tertium fratrem fanè
Germanum probarunt. Omnes igitur
eodem gladio cæsi, eâdem palmâ coro-
nati: ad quem nuncium *Bassa* plus ali-
quanto exsiliit gaudio, quàm si uno die
vicisse omnes in Olympicis audiisset. In-
terea hanc carcere, & fame vexatam *An-
geli* cibo suo recrearunt, ut suum ter-
ræ jam minimè invideret *Bassa*. E car-
ceribus ubi prodiit, ignem, aquas, la-
pidantium manus, & Deos ipsos humi
dejectos femina triumphavit. Trium-
phum splendidiorum feræ immixta red-
diderunt, quas cicurare virtus potuit,
non tyrannum, qui toto mari obruere
triumphum *Bassæ* voluit. Sed in fluctus
abjectam matrem gloriosi è cælo filii
naviculâ excepere & ad portum incolumem
deduxere. Verùm illa potius cæle-
ste litus spectabat. Atque ad hoc octi-
duo post etsi cruribus fractis & sine ca-
pite, enatavit tamen per sanguinem
suum. Ex Men.

*Subducti terris speculamur cælum, ut
ducatur signorum caelestium, gubernante
Christo, flante Spiritu sancto, evictis
voluptatum spumis, superatis vitiorum
fluctibus, atque omnium delectorum nau-*

Kk 5

fra-

522 VITÆ SANCTORUM. 22. Aug.
*fragilis civitatis, lucrum vitæ & gaudia
Resurrectionis intremus. S. Pet. Chrysol.
serm. 8.*

S. SYMPHORIANUS M. 22. Aug.

A Nno post Deum hominem cc. xxiii.
SYMPHORIANUS juvenutis Au-
gustoduni in Galliâ princeps, quod cul-
tum Diis negasset, jussu Heraclii, qui
pro Valeriano illic furebat, in vincula
est abreptus, sed quæ ille digna nobilita-
te Christianâ monilia putavit. Pugnabat
in fortissimum juvenem geminâ acie ty-
rannus: hinc agmen minæ, verbera, fla-
gra, illinc blanditiæ, munera ac pro-
missa ducebant: perripit tamen mar-
tyr utrumque cornu, & illud constantiâ,
hoc etiam risu vicit fuditque. Sed victo-
rem pessimus iudex ad gladium damna-
vit. At SYMPHORIANUS præferri
sibi secures non in supplicium, sed trium-
phum putavit, quem augustissimum ma-
ter triumphantis fecit, dum his vocibus
è tecto & ipsa triumphans, acclamavit:
Io! fili, triumphâ! Io! tecum mater
triumpho! quid enim? Certè victorem
filium, præferri secures, & sequi vi-
ctum tyrannum video. Sed cur sine pur-
purâ? fallor; an tuus hanc cruor dabit.
Et cur sine coronâ? iterum fallor, cæ-
lum hanc dabit, nec è mortali lauro da-
bit. Superi! filio jam supervivere ma-
trem

22. Aug. VITÆ SANCTORUM. 523
trem iuvat, iuvat oculos claudere. Au-
dite votum novum sidera, & tu fili, si,
sanguine subscribe. Hæc aut familia ma-
ter: filius interim caeleste jam Capitolium
victor tenebat. *Ex Surio.*

*Quæris aurum, & si volueris, fortè non
habebis; Deum, cum volueris, habebis; quia
& antequam velles, venit ad te; & cum a-
versa voluntate esses, vocavit te; cum con-
versus esses, terruit te; & cum territus
confitereris, consolatus est te. S. Aug. sup.
Psalm. 32.*

S. BERNARDUS SENENS. CONF.

22. Augusti.

Senis oriundum sive *Ioannem* sivi BER-
NARDUM dicas, nunquam nomen
mentietur, semper Virginis clientem
loquetur. *Ioannes* à puero indigeratus,
cum mansuetiorum musarum ductu ad
Themidis adyta penetrasset, & quas di-
dicerat modo leges cum plausu jam do-
ceret, quò rectius humana perspiceret,
in oculorum gravissimam agritudinem
incidit. Placuit à *Maria* veriori Cyn-
thiâ lumen mendicare; huic, si oculos
illa reddat, totum hominem vovet. Vo-
ti damnato dies interim appetebat quo
disputandum pro morte in publico
erat. Hic dum Codicem, dum Di-
gesta frequens corona hiat, ille alia
omnia ingressus dicere contra legem
homi-

524 VITÆ SANCTORUM. 22. *Aug.*
hominumque vanitatem declamat; eam
vel cœcutientibus nuper oculis seait per-
vidisse; ne mirarentur, si hi redditi à
VIRGINE humana omnia despicerent
deinceps, è cælo esse: sequerentur illi
oculatum nunc Doctorem, qui lippien-
tem nuper. Finem orationi fuga dedit in
montem olivis nobilem, quo pluribus
jam concurrentibus, JOANNES scalas è
cælo, & in his descendere beatos genios
vidit, secumque candidatos quàm pluri-
mos ad *Virginem Filiumque Virginis* ab-
ducere, quod visum nequaquam som-
nium esse tunc credidit, cùm Pontificis
auctoritate vestem pro suis ex cæli sen-
tentiâ candidam, leges à D. Benedicto
fancitas, Ordini nomen à *Maria de*
Monte Oliveti, ipse *Bernardi* accepit.
Obiit dum sociis, à peste infectis ocu-
los pius claudit ipsissimus ocellus cali,
ex quo utinam ò *Mariani* Argum fa-
ceretis! *Ex Chron. ejusd. Ord.*

*Quantum illi laulandi atque prædican-
di, qui dignati non sunt cum mundo flo-
rente florere; tantum increpandi & ac-
cusandi sunt, quos periri cum porerente
delectat. August. Epist. 45.*

S. A. N.

S. ANTHUSA VIRG. 22. Augusti.

ANTHUSAM patria Seleucia, in hac nobiles parentes, apud hos raræ opes, & cum his rarior forma comendabat. Sed illa additura aliquid formositatis etiam animo, Christiani fontis balneas suspirabat, & lavari à Tharsensi Antistite Athanasio exoptabat. Quare veluti ad nutricem invisura currum comite uno alterove servulo confendit. Interea monitoribus & comitibus Angelis usus Athanasius obviam venit virgini, & ad primum congressum fontem precibus suis dedit, tum de inde ANTHUSÆ corpus undis, animum gaudiis perfudit. Et ut sciret, quem hic colorem in tam sanctis thermis induisset, adfuere gemini calites, qui veste & ipsâ candidâ candidissimam animulam donarunt. Hac illa superba facile auream, quam gerebat, contempsit, exutamque Athanasio, ille miseris dedit. Talis denique nutricem addit, quæ cum pretium vestis non intelligeret imprudens culpavit scilicet virginis in tantâ nobilitate modestiam. At hæc clam matre ad Episcopum revertit, & quod sciret facile innocentia vestem sordis trahere, impetravit alteram & seris horridam, quâ tegeter priorem & indemnem servaret. Quin, ut ne domestici fures hanc raperent amiei, in silvas

vas

326 VITÆ SANCTORUM. 13. Aug.
vas exportavit. Sed & nutrices pro una
illâ tot illîc invenit, quot feras, qua
triginta & duos annos aluere hospitem.
Immortua est rupi (lectus hic illi erat)
adversus plurimos insultus demonis ma-
li ipsa etiam rupes. *Ex Menais.*

*Caro pretiosis indumentis cooperta quid
aliud est, quam caro foetida, corruptibilis,
necnon ex omni corporis meatu scaturiens
insaniam, quam non valet sustinere visus,
olfactus percipere, neque ipsa hominis natu-
ra perferre? S. Laur. Iust. l. de Humil.*

SS. CLAUDIUS, ASTERIUS,
NEON MM. 13. Augusti.

POtest Agæa hodie invidiam Romæ
facere, & tergeminos fratres & ipsa
suos jactare, Horatiis vel ideò fortiores,
quòd vivus è pugnâ nullus abierit, omnes
cecidissent victores. Illis nomina sunt
CLAUDIUS, ASTERIUS & NEON,
dissimilia vocabula, cæterum virtus sub
pectore eadem planè & constantia. Pri-
mò singuli, tum totâ fraternâ acie pugna-
runt; nec intres solum hostes, sed in
totas carnificum cohortes. Videlicet ad
servilem metum, virgas, cederent Chri-
sti milites? Risum hæ, non gemitum ex-
pressere. Jam unci ferrei & ungula bu-
bulique nervi in lacerato corpore inte-
gram animum prodiderunt. Prunis &
cum prunis tyranno insultarunt etiam.
Tadas

23. Aug. VITÆ SANCTORUM. 527

Tædas corpori admotas fortior ignis
extinxit *Dei* amor. Et equuleo verò
velut è cathedrâ, pulcherrima & dignif-
sima Philosophiâ Christianâ oracula edi-
derunt. Post tot igitur pugnas meritò
denique in cruce triumphavit nobilis
fratrum ternio. Neque obfuit triumpho
huic, quòd corpora feris avibus præda
cederent, cum nobilissimam eorum par-
tem animam beatiore jam volucres ab-
stulissent. *Ex Lippeloo.*

*Renatus & à Deo adoptatus in filium,
imaginem tui porta auctoris, non majesta-
te, qua solus est, sed innocentia, simplicita-
te, mansuetudine, patientia, humilitate,
misericordia qua dignatus est nobis fieri
& esse communis. S. Pet. Chryf. serm. 117.*

S. PHILIPPUS ORD. SERV.

B. M. V. 23. Augusti.

Multam multi servitatem serviunt,
nulli honestiorem, quàm qui ser-
vos se *Virginis* gloriantur. Horum æ-
dem, quæ Florentiæ est & *Mariae* ab
Angelo salutata fert nomen, ingressus
PHILIPPUS noster, dum illa ad alium
Philippum verba leguntur, Philippe ac-
cede & adjuuge te ad curram istum, vi-
det cæli Dominam aureo in curru à bea-
tis mentibus stipari, ab ove & leone
trahi, videt cæleste donum atri coloris ve-
stem sibi porrigere. Prodigium hoc alte-
rum

528 VITÆ SANCTORUM. 23. Aug.
rum sub noctem excepit, cum ab eadem
Domina servos ejus accedere est jussus.
Et verò accessit pulcherrima appendix,
egitque aliquamdiu in spelæo nomine ip-
sius hodie nobilitato, & fonte, quem ego
è lacrymis, quas oppidò multas illic fudit,
enatum credo. Inde famâ nominis sui
factorumque tam inclaruit, ut iis permo-
ti purpurati Romæ Patres ad clavum Ec-
clesiæ vocare cogitarint; sed ille sum-
mos honores humili sugâ elusit, & Ar-
retii, cum fame ultimâ focii premeren-
tur, ante imaginem *Heræ* suæ in natura-
lia sportas geminas candidissimis pani-
bus onustas abstulit. Ad extremum è
Germaniâ (quò magnò hujus bono Ru-
dolphus Imp. invitarat) Florentiam
redux primò omnium *Virginis* templum
ingressus, & ante ejus aram in genua ab-
jectus, *Hæc requies mea*, exclamavit.
Vatam sibi fuisse, ipso *Assumptæ* in ca-
elos *Domina* die morbus, tum octavo ab
illo mors ostendit. Vitæ testimonium ad
tumbam ejus claudi manciq̄ue, quin a-
deò muti mortuique loquuntur. Ex *Ar-
chang. Ianio.*

*Agnosceit Virgo, & diligit diligentes
se, & propè est in veritate invocantibus se,
præsertim his, quos videt conformes sibi
factos in castitate, & humilitate, & totam
spem suam, post filium suum, in ea po-
suerint, & toto corde quæsierint. S. Bern.
in serm. super Salve Regina.*

S. BAR.

S. BARTHOLOMÆUS AP. 24. Aug.

Sunt, qui BARTHOLOMÆUM in purpurâ natum velint. Sanè obiisse purpuratum nemo negaverit. Ut Deum in vota sua flecteret, genua centies die, toties noctu fertur flexisse. Cùm deinde orbis XII. viris in totidem provincias cefisset, subigendis CHRISTO populis, diu collega Philippo fuit; post hujus verò triumphum, in Indiam & Armeniam majorem movit. Hic loci ad ejus facundiam continuò malorum dæmonum simulachra obmutuerent, & torqueri se immaniter à BARTHOLOMÆO clamitarunt. Proinde orci larvas è cive, itemque Regis Polymii filiâ facile abegit. Eam ob rem cùm Rex onustos illi auro gemisque camelos transmisisset, remisisset omnibus, eidem significari jussit, minime harum rerum mercatorem se agere, sed animarum, quas si cælo intulisset, tum demum lucrum ingens se fecisse existimaturum. His igitur Rex permotus non difficulter manus illi dedit, à quo ipsi Dii victos se esse faterentur; traxitque suo exemplo cum liberis regni bene magnam partem. At Astyages Regis frater nimium quantum hoc nuntio exacerbatus, pellem vivo detraxit BARTHOLOMÆO, & capite truncavit. Quid adhæc vos, qui pellem laucè ac niti-

530 VITÆ SANCTORUM. 24. *Aug.*
dè habetis, qui aqualiculo fulcitis? nec-
dum angustam ad cæli atria portam cre-
ditis! *Ex Brev. Petro de Natal & Lippelo.*

*Non caret regiâ potestate, qui corpori
suo novit rationabiliter imperare: verè
enim dominator est terræ, qui carnem
suam regit legibus disciplina. S. Aug. l.
de verâ innocentia.*

S. AUDOENUS EP. 24. *Augusti.*

A Nulum Dagoberti Regis AUDOE-
NUS curabat, ipse anuli pulcherri-
ma gemma. Officio suo tunc se fungi ar-
bitratur, si Regem sui commune fecis-
set. Pauperum pater amantissimus, sui
iudex severissimus carnem nudam cili-
cio tegebat, cilicium aureâ veste diffi-
mulabat, hoc sanctior, quò superbi-
or. As paternus inter illum & fratres ita
dispensatus, ut omnem pauperes mo-
nachi que acciperent. Ipsi quoque rebus
humanis omnibus vale-dixerunt, & vel
inter monachos aulici, vel quod magis
mirere, inter aulicos monachi vixerunt.
Episcopus Rothomagensis creatus Hi-
spanias septem annorum siccitate vexa-
tas lacrymis primo, mox imbre beato
recreavit. Monumenta pietatis templa
ac cœnobia plurima reliquit, prodigiis
non raro adjutus. Ita templum meditan-
ti locum crux per aërem visa rutilare
ignea que columna ostendit. Aliàs com-
mercium, quod illi cum cælo erat; litera
inde

24. Aug. VITÆ SANCTORUM. 531
inde missæ prodiderunt, quibus moneba-
tur, ne D. Marculphi caput à reliquis ossi-
bus (ut quidem cogitabat) separaret. Sa-
xum ingens, quod locò movere multa
bouvum juga non poterant, duabus bucu-
lis obsequens habuit. Id cum infideret
per contemptum muliercula, discludi è
suis orbibus oculos suos vidit. Quid,
quod laudes AUDOENI ranæ templo
vicinæ locutæ sunt, cum obstrepentes di-
vinis officiis tacere iussæ imperio Divi
paruerunt? At nostro ævo ranas garrulas
in ipsum templum videas penetrare. Ex
Syrto.

*Angusta via, quæ ducit ad regnum, quis-
quis ergo honoribus inflatus fuerit, & auri
thesauris dilatatus, tanquam onustum ani-
mal transire non poterit. Tam enim angusta
est diviti porta caelestis, quam est camelo
acus foramen. S. Max. serm. de S. Mich.*

S. GREGORIUS CUM SOCIIS C.

24. Augusti.

Quo tempore rerum Constantius po-
tiebatur, multumque Arrianis ipse
etiam Arrianus favebat, reperire terge-
minos fuit milites (GREGOREUM,
Theodorum & Iconem dixerunt) qui plu-
ris facerent sacramentum quod Deo,
quàm quod hæretico dixerant. Proin-
cum pro Fide sanâ aut mori fortiter,
aut pulchrè certè vivere apud ani-

Li 2

mun-

532 VITÆ SANCTORUM. 24. Aug.
mum suum constituisſent, in Samum In-
ſulam trajecerunt ibique templi neſcio
cujus rudera velut caſtra novæ ſuæ mili-
tiæ inſederunt. Hic nimirum ſemper illi
in acie contra orcum ſtare, aut egregii
certè triarii inter preces in genua ſubſide-
re, quin imò inde ad ſuperos excurrere,
cælumque jam non invitum lacrymis &
gemitibus tam diu expugnare, quoad
emeritis uno eodemque die omnibus
beatam vacationem mors felix dedit.
Fortè in viciniò homo agebat nobili-
tate opibusque potens, ſed cujus feli-
citatem fortuna leprâ horridâ aſperſe-
rat. Huic pro valetudine priſtinâ ſup-
plicantis cælites noſtri ſe objecerunt, mo-
nueruntque, ut corpora, quæ ferarum in-
juriis ad id uſque temporis expoſita jace-
bant, terris mandaret; ita fore, ut
cum his lepram etiam ſepeliret. Enim-
verò cum ſtudioſè medicos ſuos ille qua-
reret, ducem denique paſtorem & odo-
rem (quem mirum corpora ſpargebant)
ſecutus, invenit tandem; & cum primùm
oſcula his coepit figere, ſimul lepram
coepit abſtergere. Iamque gratus ſingulis
Divis tumulum, æternum deinde omni-
bus monumentum monaſterium extru-
xit. *Ex Pet de Natal.*

*Rex noſter Chriſtus non tam nitorem ve-
ſtium, quam animorum requirit affectum:
non inſpicit ornamenta corporum, ſed con-
ſiderat merita cordium; nec cinguli ope-
roſita*

25. Aug. VITÆ SANCTORUM. 533
rositatem miratur, sed castimonia libidinem ristringentis pudicitiam miratur.
S. Max. in Vig. Nat.

S. GENESIUS MIMUS M.

25. Augusti.

CUM Comoedias hucusque & risum dedisset GENESIUS, tandem posuit hodie soccos, & cothurnos indutus tragœdiam & sanguinem dedit. Nempe doctissimus Mimus, cum mores ritusque Christianos ad amissim perdidicisset, fabulamque oculis Diocletiani dare instituisset, æger in theatro procumbit, aquasque lustrales multis gemitibus suspirat. Adsunt ex composito socii & undas petenti simul Imperatori ac populo risum propinant. Interea serio rem agit, aliaque spectacula GENESIO cælum facit. ostendit bene longum scelerum, quæ patrauerat, catalogum, atque his modò velit, spongiam baptismum promittit. Hic enimverò Christum GENESIUS conclamat, & Christianum se jactat, nimis bene simulare jam doctus. Igitur risus, plausus muneraque missa Mimi artes laudabant. Imperator quoque ludos post ludos sperans milites mittit, qui GENESIUM (Christianum scilicet) ad tribunal raperent. Sed hic secutus ostendit reipsâ Diocletiano, etiam post positam personam, Christianum

Li 3

ftianum

§34 VITÆ SANCTORUM. 25. *Aug.*
stianum se esse. Tum enim verò in furo-
rem abire ille, palàm fassus sanguinem
se gestire bibere GENESI I. Et dedit
hic sanguinem ex equuleo pendens, fer-
reisque uncis lacer & tædis ustulatus.
Iamque ultimus actus è fabulâ restabat.
Hunc more jam apud Martyres recepto
mors gladio absolvit. Et nimirum luxit
tunc Roma delicias amissas. at Superi
tunc primùm Mimos etiam ipsi adride-
bant. *Ex Surio & Baron.*

*Cesset vitiorum pruritus pestifer, dis-
cutiatur à sensibus caligo, tota pompæ secu-
laris, abjiciatur à mentibus mundana cupi-
ditatis illusio; appetatur paupertas Chri-
sti, sanctitas animæ custodiatur, ut ima-
go Creatoris nostri portetur & clarescat in
nobis. S. Pet. Chryf. serm. 117.*

S. LUDOVICUS REX C.

25. *Augusti.*

Vitam omnem LUDOVICI noveris,
si leges noveris, quas sibi primò, tum
deinde filio dixit. Harum capita habe.
I. Deum præ omnibus amato. II. Pec-
catum mortiferum ceu anguem fugito.
III. Adversis ne deprimitor. IV. nè
prosperis extollitor. V. Animæ plagas
spirituali medico crebrò nudato, & me-
dicinam quamvis asperam nullam respui-
to. VI. In precandi studio assiduus esto.
VII. A-

25. *Aug.* VITÆ SANCTORUM. 535
VII. Animum in miseris pium & libera-
lem gerito. VIII. Cùm animo malè est,
in consilium quàm mox virum bonum
adhibeto. IX. Boni tibi nunquàm non
absunt, mali semper exsunt. X. Bo-
num omne amplectitor, malum omne
derefator. XI. de Deo loquentibus au-
res lubenter dato. XII. obrectationi-
bus verò obserato. XIII. Deum Divos-
que impunè, te Rege, nulli laceffunt.
XIV. Gratus Deo in primis, sed & ho-
minibus esse momento. XV. Pro tribu-
nali æquus esto, & pauperum queri-
monias ne negligito. XVI. In causâ
tuâ, dum res non liquet, contra te stato.
XVII. Aliena ocyus restituito. Clero &
Religiosis pro scuto esto. XVIII. Paren-
tibus amorem deferto. XIX. Bella si con-
tra Principes Christianos gerere neces-
sitas suadet, sacris parcito. XX. Lites pro
virili dirimito. XXI. In Magistratus se-
dulò inquireto. XXII. Pont. Max. ut par
est, reveretor. XXIII. Impensæ mode-
stiam ne excedunco. XXIV. Pro me, ubi
obiero, sacra fieri curato. *Ex Suario.*

*Amat Deus disciplinam; perversa au-
tem & falsa innocentia est, laxare habenas
peccatis. Valdè perniciosè sentit filius pa-
tris lenitatem, ut justè postea sentiat Dei se-
veritatem, & hoc non solus, sed cum disso-
luto patre suo. S. Augustinus sup. Ps. 30.*

Quid auro te vestis homo, si nobi-
les animas etiam in cœno latentes
Numen amat? quid opobalsama spiras,
quando etiam inter latrinas (parce, si
Superis parcis, & mihi) suavè tamen olet
virtus? Age & qui nares sordidis rebus,
ne aures nominibus nega: docebunt te
hæc alta negligi à cælo, infima eligi.
Erat IRENÆUS conditione vitæ homo
omnium ultimus Romæ (in cloacas for-
tunæ munus detruserat) in tantis for-
dibus tamen candidissimum animum
eumque Christianum circumtulit. For-
tè D. Concordiæ corpus exanime, heu!
non digno sepulchro, cloacâ tumulatur.
Quærit hoc pietas Christiana, quærit
& impietas Porphyrii militis; illa vir-
tutis odore, hæc avaritiæ illecta, & num-
mos investibus & gemmas subodorata.
Atque hæc sua consilia Porphyrius IRE-
NÆO detegit. Itur, eruitur Concordia
nullâ spurcitie aspersa. Sed aurum &
gemma Porphyrius excæcatus ab avaritiâ
nullam videt. At hoc abeunte, I-
RENÆO merum aurum & una gemma to-
tum corpus Martyris visum. Igitur A-
BUNDIUM in auxillium vocat, & ad Iusti-
num Presb. thesaurum fert; ille terrâ
abscondit. Sed & merces sua IRENÆO &
ABUN-

27. Aug. VITÆ SANCTORUM. 537

ABUNDIO constitit. Vivi enim in cloacam demersi à Valeriano animas pulcherrimâ tamen morte posuerunt. Itaque etiam sanctior ludit fortuna, quando non jam ab aratro, sed è cloacâ ad purpuram & ad Martyrum purpuram vocat.

Ex actis D. Laurentii.

Quantò quis altius se per tumorem mentis erigit, tantò magis in imo despicabilius jacet. E contrario eò honorabilius humilis coram Deo provehitur ad summa, quò per vilem sui astimationem se vilipendendo magis collocat in profundo. S. Laur. Iust. de Humil.

SS. AURELIUS & NATALIA MM.

27. Augusti.

Quam pulchra est casta generatio! quæ tantum splendorem etiam thalamo conciliat. Audi orbis, & si vides, hunc juxta mecum vide. Sustulerat jam AURELIUS è conjugè NATALIA geminam prolem, ab hinc ergo castitati placuit, non liberis vacare. Sed & cælo hoc cum primis placuit, cujus oculos nulla alia tam facile virtus, ut castitas rapit. Certè ocellus cæli Christus inter Angelorum comitatus visus descendere, & hic quidem benedicere cubantibus, illi tapete candido etiam pavimentum, quod tam pudici pedes premebant, vestire. Virginum etiam Regina

Li 5

ad

338 VITÆ SANCTORUM. 27. Aug.
ad spectaculum Superis tam jucundum
delapsa cælo, solari in non viduo lecto vi-
duos conjuges voluit. O Superi ! que ego
somnia tam castè dormientium fuissè
putem, ubi lectum *Virgo Mater & Virgo
Filius* sternere veluti non dubitavit? quàm
molliter credã cubuisse, cùm suas Angeli
plumas cælo afferrent? Et audi quàm sua-
vibus somniis cælum demulserit castos.
Cum assent in pauperes & martyres ero-
gassent, ex his florã laurãque *Aureliæ* per
somnia visã utrique præmium operæ
martyrii palmam sunt pollicitæ. Non fe-
ellit tam sanctus Morpheus. Ducti ad
supplicium cum plurimis aliis (ex quibus
uni scala in cælum se porrigens viam sci-
licet ostendit) caput truncandum pro fi-
de præbuerent, duplici dehinc titulo bea-
ti, cùm & conjuges & martyres audiunt,
iidemque & casti & fortes. *Ex Surio.*

*O quàm beata mens, que propter sui in-
nocentiam in conspectu invictissimi æterni-
que Regis astare non veretur, & ad quam
velut in proprium thalamum cælestis festinè
declinat sponsus ! S. Laur. Iust. de cast.
con. c. 14.*

S. CÆSARIUS CONF.

27. Augusti.

Quisquis flores aut fragra legis inter
Poëtarum vireta, heu ! cave tibi; lateb
anguis in herbã. Vides indormire Cæ-

S A R I U M

27. *Aug.* VITÆ SANCTORUM. 539
SARIUM serpentis amplexibus? Non
Æsculapius erat hic, sed Apollo; pro-
fanus inquam codex, cui noctem quan-
doque invigilabat ille, cum precibus
debuisset. In somnis ostendit cælum,
serpentis, non libri volumina esse,
quibus incumberet. Quare manibus
hæc excussit. Tu quoque, quæ in sinu
hos angues, imò in oculis geris legen-
do, cavebis, iterum moneo, juvenus.
Cæterum puer CÆSARIUS non semel
prætextam posuit, ut pauperes hanc acci-
perent, domi de inde spoliatū se à præte-
reuntibus commentus, cum interim ultrò
in has prædonum manus accurreret. E
mundo cum abiret, inconsultis id paren-
tibus (ne viam obsiderent) fecit. Abhinc
mundo mortuum quis negabit, quando-
ubi Abbas ad Episcopatum Arelatensem
quarebatur, tumulo, quo se absconderat,
fuit extrahendus? Multis sapius calum-
niis appetitus, exilio mulctatus, vincu-
lis oneratus, unis tamen beneficiis sem-
per certavit. Certè calumniatorem lapi-
dibus obruendum servavit, civicamque
ex hoste meruit. Rex ipse Theodoricus
cum reum ad tribunal vocasset, ubi ad
instar Angeli splendens intuitus est,
habere exinde patronum suum apud
Deum maluit. Ejus dona (uti & vasa
sacra vestesque) omnia in captivorum
subsidia dilapidavit, veros Ecclesiæ the-
sauros animos esse reputans. Abiit tan-
dem

540 VITÆ SANCTORUM. 28. *Aug.*
dem mortuus è vivis, cum prius ipse
mortuum ad vivos reduxisset. *Ex Lippeloo.*
Damonum cibus est carmina Poëtarum,
secularis sapientia, Rhetoricorum pompa
verborum. Hac sua omnes suavitate dele-
stant, & dum aures versibus dulci modera-
tione currentibus capiunt, animam quoque
penetrant, & pectoris interna devinciunt.
S. Hieron. in parab. fil. prod.

S. MARGARITA VIDUA. 28. *Aug.*

Nobilem hanc MARGARITA for-
tuna ad gregis, quem paupercula
pascebat, pedes abjecit. Et tamen splen-
dor illius ex ipso celo Christum accivit,
ut pauperem & ipse indutus stipem pete-
ret. Nec abnuit illa, sed panem, quem
unicum habebat, illi tradidit non parvo
lucello, Nam continuo Christus ex oculis
abiens suavissimo odore *Margarita*
perfudit. Hoc interim probe pasta cum
domum deinde venisset, & mater nega-
ret in penu panem esse, protulit ta-
men inde *Margarita* talem, qui can-
dore & sapore cælum loqueretur, fa-
menque non familiæ modò, sed totius
viciniæ unicus placaret. A morte mari-
ti (nam nubere coëgerant parentes)
toto in pietatis studia abiit. Lectum for-
menta sternebant, cervicem lapis fulcie-
bat molle semper castitati pulvinar. Ca-
put omniaque in mensâ parvis, cella fons
fuit

28. *Aug.* VITÆ SANCTORUM. 541
fuit Calcei nulli, vestis ei unica, præ-
ter cilicinam, quâ pectus ita astringebat,
ut sanguis expressus in saniem abiret;
sed hac illa formosissima Superis vide-
batur. Interea primo mane sacris ade-
rat, reliquum diem visendis agris, &
rogandâ, quam pauper in pauperes ero-
garet, stipe non malè comburebat. Mor-
tis diem à cælo edocta cum à matre filia
mnemosynon expeteret, calceos suos illa
promisit. Et nimirum, agebat hæc, illos,
quos nullos habes? imò, illa, quos mors
donabit. Et ecce dum defunctam intue-
tur filia, videt tentissimis membranis cal-
ceatam. Detracta ea spolia salutem mor-
bidis plurimis tulerunt. Et quid jam du-
bitas virtus ad cælum etiã per medias
spinas currere, quando contra has te cæ-
lum calceabit? *Ex Ferrar.*

*Quàm præclara possessio sit humilita-
tis, ii norunt, qui jugum illius ferre non
erubescunt. Nudus & sine calceis ingredi
potius elige; quàm humilitate spoliari: nam
humilitatis studiosos Deus ipse protegit at-
que defendit. S. Ephrem de vit. spirit.*

S. AUGUSTINUS EP. 28. *Augusti.*

AUGUSTINUS ubi manus Deo &
D. Ambrosio dedit, in Africam redux
& sacerdos primum, mox Pontifex Hip-
ponensis factus, patrem se Catholicis
omnibus, hostem hæreticis acerrimum
exhi-

542. VITÆ SANCTORUM. 28. *Aug.*
exhibuit, quorum manus divino præfidio sapius evasit. Mores improbos suorum liberrimè pro concione carpsit, illorum præsertim, qui sacris vel à principio non adessent, vel ante finem subducerent sese; quique non Deo loqui in templo, sed hominibus confabulari consueverent. Mensa ejus, quæ frugalis erat, & vasis vel ligneis vel testaceis superba, quoslibet hospites admittebat, si illos excipias, quos ascripti hi versiculi proscribent:

Quisquis amat dictis alienam videre vitam,

Hanc mensam vetitam noverit esse sibi.

Supremum æger Davidis carmina, quæ à poenitentia nomen habent, parietibus cubiculi inscribi voluit, interque earum commentationes mortem sanctissime obivit, & Ecclesiæ hæreditatem amplissimam eloquentiam suam & profundissimam doctrinam reliquit; illud puro juvenuti legavit, quod in libr. XXII. de civit. Dei c. 8. narrat; matrem scilicet filios immorigeros diris devovisse; vota calum audisse; & illos vagos, & horrendam omnium membrorum concussione tremebundos orbem pererrasse; ex his denique duos ad aram D. Stephani sibi redditos esse. Superi! si improba mater in improbos filios tantum potuit, cheu! Mariani, quid in immorigeros MARIA MATER poterit! *Ex vitâ & ipsius D. Augustini libris.*

Se

29. Aug. VITÆ SANCTORUM. 343

Se terrenos parentes tanto affectu diligimus, qui parvo tempore pro nobis sustinuerunt labores, nonne celestis pater magis amandus est, qui pro nobis crucifixus est? Nam quidquid parentum nostrorum circa nos fuit obsequium, ejus est beneficium.
S. Aug. 1. de salut. docum.

DECOLLATIO S. JOANNES BAPT.

29. Augusti.

Natalitias hoc die Herodes epulas dedit, quas rectius funebres vocabimus. Aut enim nullas, aut istas sol fugit, quas sanguine humano heu! nimium nobili crudelitas condivit. Nam cum ad reliquas mensæ illecebras filia etiam accessisset, & factu leviculo terram plauisset, ecce tibi præmium pedes caput maximi vatis JOANNIS abstulerunt. Nec fatis erat, per mensam tam delicatum ferculum ambulare, & oculorum gulæ facere satis. Extraxit conjux adultera palato suo linguam (illam gratissimam suadæ sedem) & mille nunc convitiis, nunc acu mille locis fodit scelestæ. Sed profectò pessimè acu rem tetigit. Nunquam enim magis viva etiam crudelitatem Regis, quam tunc fuit locuta, & meritò deinde divinum *Verbum* loqui tyranno renuit, cujus vocè decollaverat. Ipsa saltatrix poenas si feras, serias certè luit, quâdo astrictas gelu aquas transiens,
rupiã

544 VITÆ SANCTORUM. 30. *Aug.*
ruptâ sub pedibus impiis glacie, abscein-
dendum crustis caput dedit, etiam tunc
portentosum in modum subsiliens, &
choreas, quibus viva assueverat, mortua
etiam continuans, manifestum omni-
bus mortalibus documentum, quàm non
multo saltu opus fit, ut in orcum devol-
vamus. At dicit nonnemo: Ergone o-
diosam pede calcare terram non liceat?
imò verò calcanda illa est, & pede utro-
que, sed graviore, & cui cælum, non
orcus arideat. *Ex Bar. & Martyrol.*

*Si Ioannes tantus, Ioannes talis, tantâ
eremo separatus à feminis, seminarum pe-
ricula non evasit, quis est, qui inter femi-
nas virgens evasurum se sine labore maxi-
mo, maximâ sine cautione confidit, nisi
qui sancto alitur spiritu? S. Chrysol.
serm. 2. de Decoll. S. Ioann.*

S. BONONIUS ABB. 30. *Augusti.*

Optima Philosophiæ pars est mortis
meditatio; hæc BONONIUM pue-
rum mundo mori docuit, quâ quidem
morte ad vitam nihil est salubrius. Hinc
Ægypti deserta petiit tantamque sanctio-
rum civium frequentiam invexit, ut in
solitudinem urbes, in urbes solitudinem
diceres migrasse. Ipse totam Ægyptum
concionabundus obibat, Christoque
longè plurimos iungebat, mercatores
præsertim, quibus tempestate aliquan-
do

30. Aug. VITÆ SANCTORUM. 545
do jactatis post preces suas solem &
cum sole fidei lucem ostendit. Ob id
cum Alexandria in summo honore jam
esset, iterum Ægypti intima petiit. Hic
illi tectum cælum, cubile terra, culci-
tra cilicium, cervical lapis fuit. Huic
etiam invigilabat potius quam indor-
miebat; quo mollius tamen jaceret, le-
ctulum hunc suum lacrymis quotidie la-
vabat. Verum è privato hoc pulvere ex-
tractus in arenam à Petro Vercellensi
Antistite, cui una cum pluribus aliis cap-
to libertatem apud barbarum Regem
exoraverat, Cœnobitis Lacedensibus præ-
esse jussus est, dum vitâ simul & munere
est functus. Porro quem adgeniculari ad
tumulum Divi cernis, fraternæ cædis reus
est. Hunc cum supplicè sacerdos quidem,
sed non conscientia absolveret, annos
plures à domesticis furiis agitatus mala-
ciam tandem animo apud cineres Bononii
reperit. Veniam nuntiarunt ruptæ ultro
manicæ, quas reus ipse dextro & cædis au-
ctori brachio induxerat. Hæ nunc licet è
ferro sint, an non pulchrius tamen sus-
pensæ tumulo Bononium ornant, quàm
Manliani, quos olim abjecerat, torques
facturi fuissent? Ex Gabr. Palaoto.

*Licet cecideris, licet fueris in scelera de-
volutus, vide ne desperes; remansit tibi un-
de piissimo satisfacias creditori. Absolve
vis! ama. Caritas cooperiet multitudinem
peccatorum.* S. Petr. Chrysol. Serm. 94.

M m

S. AI-

S. AIDANUS EP. 31. Augusti.

Hic ille AIDANUS est Lindisfarnensis Pontifex, quem ad Angliæ regnum Christo subjiciendum purpurato interprete usum (Oswaldo Rege) suprè diximus. Nimirum tot Apostolos ferè olim Anglia, quot Reges habuit. Sed quæ in alia etiam regna dives fuit, hodie externæ culturæ est indiga. Cæterum *Aidanus*, uti multum Regibus, ita plus aliquantò familiaris mendicabilis fuit. Ex his cum uni equum donasset phaleris regis superbum, & Oswini (frater is erat Regis) nobile donum, succensuit nonnihil Oswaldus & objurgavit *Aidanum*. At cum hic pauca pro se dixisset, atque id tantum quæsivisset ex Oswaldo, plusne equum hominis mancipium, quam in paupere homine Dominum Christum adnamaret? continuo in sese primò Rex, mox deinde in genua coram *Aidano* descendit, & à Pontificiâ tiarâ veniam Regiæ coronæ rogavit. Et abstulit non hanc tantum, sed mortis etiam beatæ nuntium, cum modestissimo Rege non digna jam esse superba regna dicitaret *Aidanus*. Porrò cum hic in iratum mare oleum immisisset, oleo omittus etiam mare vidisset. Flammas quoq; quas tyrannus Penda urbi injicere parabat, in suas partes traxit, & averfas ab urbe in hostes armavit. Ita victor

S. AIGIDI

victor è viâ abiit non sine triumpho, quem D. Cuthbertus tunc puer ducere illum in cælum vidit multo lumine nobilem. O triumphum tuum *Aidane* sequi etiam nos pileati olim possimus! *Ex ven. Bedæ hist. Eccl. l. 3.*

Per misericordias pauperum misericordiam paremus, ut possimus esse de panâ liberi, & de salute securi: gratis misericordiam sperat ibi, qui hîc non fecerit misericordiam: qui facit misericordiam, currit ad præmium; qui non facit, decurrit ad panam. S. P. Chryl. serm. 8.

S. ÆGIDIUS CONF. I. Septembris.

Semma in ÆGIDIO regium indoles munifica prodidit. Nam puer pratexam exuit, ut pauperem agrum indueret. Et hic quidem morbum cum centonibus posuit, at ille nudus cætera, ut virtutem & miraculum saltem tegetet, ablatam sibi vestem à nescio quo non satis noto homine piè commentus est. Eodem scilicet furto assem omnem paternum abstulerunt egeni, quando Gallias ÆGIDIUS petiit, & post multa prodigia easdem cum cervâ latebras habitavit. Atque, ut qui matrem deseritis, alia cælo ubera esse sciatis, hæc famelico eadem cervâ præbuit. Exclamare hic Roma potuisset: Ecce fera hominis hospes: ecce homo feræ asylon. Etenim cum